



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 1. Symbola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XXII. POENÆ DIVINÆ.

§. I.

Symbola.

Manus Domini frequenter sumitur in Scriptura pro potentia divina ad puniendum. Exod. 7. 4. *immittam manum meam super Ægyptium.* Job. 13. 21. *manum tuam longè fac à me.* Pl. 31. 4. *gravata est super me manus tua.* Ezech. 6. 14. *extendam manum meam super vos.* Hebr. 10. 31. *horrendum est incidere in manus Dei viventis.* S. Ambros. in Pl. 37. manum Dei virtutem intelligimus puniendi.

Pœne militant in me. Job. 10. 17. Militantes dicuntur: quia per quendam malorum ordinem succedentes, officium sibi commissæ crudelitatis exercent. V. Beda hic.

Virgam vigilantem ego video. Jer. 1. 11. Id est, minantem, & agentem se, ac paratam percutere, ait Rupertus. Sept. vertunt: *ego video baculum nucum.* Theodot. *ego video virgam amygdalinam,* quæ prima inter arbores evigilat, id est, sollicita est, ut suos flores emittat. Advertit Theodoretus; sicut nux, vel amygdalum, amarum habet corticem, sed nucleum suavem; ita castigatio primo molesta est, sed deinde fructum dat, suavitatem morum. Viegas in Apoc. c. 15. Comment. 1. Sect. 1.

Vigilantem exponit *oculata*; vel oculos apertos, & vigiles, habentem. Significat enim Dei Providentiam, & iustitiam; quæ tota oculata est, nec per errorem supplicium inferi; sed maximo iudicio, & examine, verberat. Hæc virga vigilans peccatores terrendo excitat, & à somno peccatorum evigilare facit. Unde aliqui, pro *virgam vigilantem*, vertunt: *virgam vigilare facientem.* Cornelius hic.

Ollam succensam. Jer. 1. 13. Orig. Rupert. & Ambros. in Pl. 38. prius Deus hic poenitentibus exhibet virgam correctionis; quam si nolent, impoenitentibus reservat ollam gehennæ.

Omnis laguncula implebitur vino. Jer. 13. 12. Symmachus, *crater.* Theodot. *vas.* q. d. sicut laguncula impletur vino; ita ego implebo vos ebrietate; non bonorum, & voluptatum; sed malorum, & dolorum. 2. laguncula vini, est mensura furoris, & vindictæ; quam propinabit, & quæ inebriabit vos Deus. Laguncula sunt ipsi Judæi, qui excipiunt vinum furoris Dei. Cornelius hic.

Transit super pulchritudinem colli ejus. Osee 10. 11. Transit Deus, cum plagas infligit. Hinc transit in Scriptura, significat punire. Ità transit per domos Ægyptiorum occidens primogenita eorum; indeque nuncupatur.

Polyanth. Sacr. Tom. II.

tum Pascha Ex. 12. 12. Ità Hieron. Cornelius hic.

§. II.

Pœnas Deus prænuntiat, ut vitemus &c.

Figure. Symbola.

Arcum meum ponam in nubibus. Gen. 9. 13. Arcus in nubibus est signum duorum: scilicet iudicii præteriti per aquam, nè timeatur; & futuri per ignem, ut timeatur. Inde est, quòd habeat duos colores: cæruleum, qui æquosus est, & exterior; quia diluvium jam præterit; & rubeum, qui est igneus, & exterior; quia iudicium ignis venturum est. Hugo Card. hic. Quarit Alcuinus: cur illud, signum diversi coloris datur hominibus? & respondet: in arcu idem color aquæ, & ignis, ostenditur; ex parte cæruleus, ex parte rubicundus. Est utriusque testis iudicii; unius facti, & alterius faciendi, propter timorem. Si non terret diluvium, terreat eterna gehenna, nè pecces. Escobar, t. 1. mir. Chr. 1. 5. Sect. 2. Obs. 9. Addo, in medio viridem cerei, quò, intermedio temporis, misericordia designatur. Quin & ipsa cælestis arcus figura nobis simul Dei clementiam, & severitatem, ante oculos ponit: severitatem, quia arcus instrumentum est ad feriendum; clementiam, quia caret sagittis, quibus impetat. Et inversus est: nec chordam ad terram, sed ad cælum, directam habet. Dolutremam de amore l. 1. c. 1. Sect. 6. S. Ambr. l. de arca, & Noe. c. 27. iris est clementia Dei, quæ quasi arcus contentus; sed carens sagittâ; per adversa, quæ immitit, magis terrere nos vult, quàm ferire; ut vitia corrigamus. Unde S. Joan. Apoc. 4. 3. vidit thronum Dei circumdatum iride, id est, misericordiâ.

Ægyptii per omnes ferè creaturas puniti sunt: scilicet per terram, aquam, aerem, ignem; per mixta, grandinem, & sanguinem; per animalia, ranas, muscas, sciniphes, locustas; per solem, & astra, cum se subducendo tenebras induxerunt; per homines, Moysen, & Aaron; per Angelos, & Deum. 2. in omnibus pene bonis puniti sunt: scilicet in fructibus agri, in animalibus, id est, primogenitis; in auro, & argento, in corporibus per ulcera. 3. in omnibus sensibus puniti sunt: in visu, per tenebras, & spectra; in auditu per tonitrua; in gustu, per sitim, & potum sanguinis; in odoratu, per foetorem ranarum; in tactu, per dolorem ulcerum, & morsum sciniphum; denique in phantasia, & mente, per continuum mororem, ac multiplices terrores. Hæ plagæ fuerunt typus, & prælium pœnarum gehennæ. Cornelius in Ex. c. 7.

kkk 2

Semper